



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Lignvm Vitae, Ornamentum, & Decus Ecclesiae**

In Qvinque Libros Divisvm. In quibus, Totius Sanctiss. Religionis Divi Benedicti initia; Viri Dignitate, Doctrina, Sanctitate, ac Principatu clari describuntur: & Fructus qui per eos S. R. E. accesserunt, fuissimè explicantur

**Wion, Arnold**

**Venetiis, 1595**

B. Ioachim Abbas, & Propheta. c. LXXXVI.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38397**

## RAMVS NONVS,

In quo

## PROPHEZIA.

per quam

Illi qui spiritu Dei illustrati, futura prædixerunt,  
intelliguntur, explicatur,

## B. IOACHIM ABBAS

Et Profeta,

qui

*In fide sua probatus est Profeta, & cognitus est  
in verbis suis fidelis. Eccles. 46.*

Cap. LXXXVI.



**V** i primum locum, noni Prophetarum Rami, Ab-  
batis habitu oclusum librum dextra tenentis or-  
re conspicitur, is est Beatus Ioannes Ioachimus Ce-  
laberoppido Celyco Mauri Tabellionis, & Genere  
filius, qui antequam nasceretur, matri ab Angelo  
prænunciatus, & anno ætatis decimo baptizatus,  
postmodumque Hierosolymitica peregrinatione peracta mona-  
chalibus indumentis sub Regula S. Benedicti indutus, in monasterio  
Histensensi & Abbas monasterii Coratii effectus, congregationi de  
monasterio Florensi in Calabria nomē & initium dedit. In vita mul-  
tis miraculis refulsit; abstinentiæ dono in tantum peditus fuit ut mo-  
nachus, annis multis feriis quarta & sexta, & Sabbato nil profus  
gustauerit; Abbas per totā quadragesimā, Dominicis dieb. exceptis  
panē tantum & aquam sumpserit. Spiritu præterea intellectus, qui  
prophético propius accedit, adeo repletus est, ut a multis, usque do-  
ctissimis viris, verissimus sui temporis Profeta sit creditus, &  
que

que ex scriptis eius apparet, in quibus multa de septem temporibus Ecclesie & de oneribus sexti temporis quasi futurorum præscius disseruit, multas immiscens Prophetias ac Vaticinia de futuris temporibus, quorum multa iam impleta esse uidemus, reliqua suo tempore adimplenda, supersunt. Græciam namque ob perfidiam in Romanam Ecclesiam, Turcis dandam, & Prædicatorum, ac Minorum ordinum fundatores, SS. Dominicum scilicet & Franciscum mox futuros, qui in imo iam in ianuis Ecclesie esse prædixit, non ore tantum, sed etiam pictura, ut uidere est in templo S. Marci Venetiis, ubi eorum imagines ad viuum expressæ refiguratæ sunt ab ipso, antequam ipsi à mundo agnoscerentur. In cuius etiam Ecclesie pauimento, parietibusque, ac fornicibus, simulachra alia pleraque effigiata emblemate, vermiculatoque opere futura protendentia, quæ in dies exitus comprobant, formari atque effingi fecit. Victoriæ præterea de Turcis anno salutis 1571. partam gloriosissimæ, quadringentis fere ante annis præuidit, & prænuñciauit, ut ex libris eius in Apocalypsim optime intellexerunt, qui Triumphus Ecclesie Catholice fuerunt auctores.

Ea autem quæ ad utilitatem ecclesie cõposuisse fertur, hæc sunt:

De concordia veteris, ac noui testamenti, lib. 5. iussu Lucii, Urbani, & Clementis Rom. Pont. hoc nomine tertiorum, conscripti, in quibus de quinque sigillis agens eximia, & arcana mysteria enodauit, ostenditque ita utriusque testamenti tempora concordare, ut nihil in ueteri testamento actum sit, quod in nouo testamento non pariter geratur, aut gestum sit, aut futurum sit in nouissimis diebus. Excusati sunt hi libri Venetiis per Simonem de Luere, anno 1519. in quarto.

In Esaiam prophetam, lib. 1. Si ad hoc rotarum mysterium centrum.

In Hieremiam Prophetam, lib. 1. plurimis refertur Vaticiniis, quorum nonnulla iam euentu comprobata, certam de reliquis in posterum fidem faciunt, excusus Coloniae apud Ludouicum Alestorium an. 1577. in 8. & alibi ante, videlicet Venet. 1525. in 4. in quo tamẽ uidentur nonnulla corrigenda.

In Danielem Prophetam, lib. 1. ad Henricum VI. Imperat.

In Euangelium Ioannis, lib. 1. In Apocalypsim eiusdem, lib. 8. Psalterium decem chordarum, lib. 3. dedicati, primus Deo Patri, secundus Filio, tertius Spiritui sancto.

De

De septem sigillis, contra Iudæos, lib. 1. Primum tempus  
Sinagoge.

Ad Henricum VI. Imper. in nonnulla capita Nahum, Abes-  
cuch, Zachariæ, & Malachiæ, Prophetarum, lib. 1. Pe-  
petis aliquid.

De futuris temporibus, lib. 1. Quia generale mundi.

De quindecim Pontificibus, lib. 1. Ascende calve. Hic li-  
ber excusus est cum commentariis Iosephi Scaligeri in 4.  
& deinde Venetiis apud Hieronymum Porrum, an. 1589.  
in quarto, cum notis cuiusdam Paschalini Regiselmi.

Epistolarum ad diuerfos, lib. 1.

De consolatione, lib. 1.

Sententiarum, lib. 1.

Scriptis & in Cirilli reuelationem, in Erithream, & in Medi-  
num commentaria. Composuit & tractatum contra Magistrum  
sententiarum, qui ab ecclesia reprobatus est, ut patet lib. 1. Decre-  
taliū, de summa Trinitate, cap. *Damnatus*, cuius causa a non-  
nullis tanquam Hereticus calumniatur, sed qua ratione ipsi uideat,  
patet enim ipsum in fide S. Matris Ecclesiæ uixisse, cuius iudicio  
antequam moreretur omnia sua scripta submisit, ut in eodem cap.  
*Damnatus* videre est, sic loquente Pontifice.

*In nullo tamen propter hoc Florentino monasterio (cuius ipse Ioa-  
chim extitit institutor) volumus derogari, quoniam ibi & regularis est in-  
stitutio, & obseruantiā salutaris maxime, cum ipse Ioa-  
chim scripta sua nobis adsignari mandauerit, Apostolica sedis iudicio  
adprobanda, seu etiam corrigenda, dictans epistolam, quam propria  
manu subscripsit, in qua firmiter confitetur se illam fidem tenere, quam  
Romana tenet Ecclesia, que disponente Domino, cunctarum fidelium  
mater est, & magistra.* Hæc Innocentius III. Illa autem episto-  
la B. Ioa-  
chim, qua se & omnia opera sua tam scripta, quam in po-  
sterum scribenda, S. R. E. iudicio submittit, impressa legitur in  
principio Concordantiæ veteris ac noui testamenti, quæ excusa  
est. Venetiis 1519. in 4.

Extat & Honorij Papæ III. epistola contra Ioa-  
chim obrectato-  
res, in eius defensionem, quæ integra inserta est in eius uita per  
Paschalinum Regiselmum composita. Migravit tandem è uita in  
quodam loco monasterij Florentis, qui dicitur Canalis, circa an-  
num Domini 1200. cuius corpus postea ad monasterium Florentis  
delatum, digno honore conditum est.

*Tristremius de vir. ill. ord. S. Ben. lib. 2. c. 117. & de script. eccles. Pascha-  
linus Regiselmus & F. Leander Bononiensis in eius vita, & alij multi.*

*De eius uaticinijs sic cecinit Philippus Phasianus Bononiensis.*

*Multimodis quaecunque uides impressa figuris,*

*Hæc signa ambiguis, scriptaque plena notis,*

*Cum prima faciunt certare ætate minores,*

*Et fidei ostendunt credere vanè pie.*

*Defecere etenim responsa, oracula, sortos,*

*Ægyptus sacras liquit & ipsa notas.*

*Nil ultra folijs audet mandare Sybilla,*

*Pithia cum Delphis continere diu.*

*Namque Joachina responsa in luminis auras,*

*Panduntur, quibus est sola adhibenda fides.*

*Inde videre palam quicunque arcana futura,*

*Quæ sunt, quæ uel olim facta fuere, potest.*

*Nam Phœbitripode, hic melius, uatisque furentis*

*Responsa, plenus numine uera canit.*

*Nulla hic ambages sunt, certa oracula lector,*

*Dum tibi non modo sit crassa Arinera tibi.*

*Alius.*

*Tu uentura canis, tu quoque futura recludis,*

*Diuinus uates, uerus & Astronomus.*

**S. ELISABET ABBATISSA:**

**Et Prophetissa.**

*Ante tempus finis <sup>quæ</sup> uita & seculi, testimonium præbuit.*

*Eccles. 46.*

**Cap. LXXXVII.**



**N**ON longe à B. Ioachimo, in eiusdem rami supe-  
rioribus, imago cuiusdam Sanctimonialis, Abba-  
tissæ habitu, librum oclusum dextra tenentis  
conspicitur. Ea est Sancta Elisabeth uirgo, &  
Abbatissa Schonaugiensis monasterii, in sinibus  
Treuirensium, non procul à Rheno in Hercinia  
sua constituti, ordinis Sancti Benedicti, congregationis Clu-  
niacensis.